Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 947

Quelle:
Copyright:

Poetaſter ordinem Eremitarum *Auguſtinianor.* egreſſus videtur.

M. duo C. ſep. et oc. ruſſi ruit ottakarus rex. (1278. 27. Aug.)
Albani (21. Jun.) *ſimul M. tria C. cum quinque* (1305) *ſecundus*
(Wenceslaus IV.)
Te preit Oswalde (4. Aug.) *poſt annum* (1306) *mors iunioris.*
(Wenceslai V.)
Primus obit bello, moritur guſtando ſecundus,
Deſerit et mundus iuuenem penetrante cultello.

Litera fugiente additum: *in olom.* Nam *Olomucii* confoſſus fuit *Wenceslaus* V.

CCLXIII. VII. B. 1

78 Codex membraneus lat. Sec. X. aut XI. Folior. 305. f. per duas columnas nitide exaratus, Librorum titulis litera quadrata rubro, nigroque eleganter alternis, et initialibus ex aevi guſtu depictis continet *Gregorii M. P. Rom. Moralia* ſive *Expoſitionem in Librum Job*, et quidem a *Libro* XVII. usque ad *finem. Fol.* 1. p. 1. praecedit *Fragmentum Libri Exodi* a C. XV. v. 27. usque ad C. XVI. v. 11. ex Interprete vulgato. P. vero 2. legitur: *In Nomine. Dei Summi. Incipiunt. Moralia. Gregorii. In Expoſitionem. Beati. Job. Per Contemplationem. Sumpta Pars. Quarta. Libri. XVII*m. Initium: *Quotiens in Sancti Viri hiſtoria per nouum uolumen enodare myſterium typicae expoſitionis adgredimur* &c. *Fol.* 173. repetitur adducta inſcriptio, ſed ſic definit: *Pars. Sexta. Libri. XXVIII.* Libro praecedenti ſubnotatum reperio eadem manu: *contuli ut potui.* Et nos Codicem cum *Edit. Pariſina* PP. Maurianorum 1705. T. I. f. contulimus, integrumque deprehendimus, et dignum, ad quem ob lectionis varietatem olim recurratur. *Jobi* Sententiae miniato plerumque charactere diſtinguuntur. Eodem ad calcem legitur: *Explicit Explanatio in Job Fauente Domino Deo Noſtro Iheſu Chriſto Libri.* XXXV. Et paulo infra: *Iſte liber eſt Johannis Engelberti de Saxonia quem cum ceteris libris comparauit A Superſtite maiore eccleſie Baſilienſ. Anno Domini* M. CCC. LXXIX. An is *Johannes de Saxonia*, quem *Trithemius* c. 609. circa an. M. CCC. XL. claruiſſe ait, incertum. De *Majoribus* ſive Advocatis Eccleſiarum Cathedralium vide *Ducangii Gloſſ. med. et inf. Latinit.*

CCLXIV. VI. C. 15.

Codex membraneus lat. Sec. 141
ſaltem XIII. Folior. nunc 86. f. eleganti manu exaratus, minioque diſtinctus, ſed principio et fine multatus exhibet *Gregorii* dicti *Magni* P. R. Scriptoris Sec. VI. *Moralia in Job*, et quidem

nunc